



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 63. Quid ad hunc casum sit dicendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

§. 9. Qui occidit adulterum deprehensum 491.
cum uxore, filia, matre, sorore, secundum *Fagund.* apud *Mendo* diff. 3. n. 27. non incurrit irregularitatem, sicuti certum est ex dictis n. 307. non incurrere excommunicationem latam in eos, qui violentas manus injiciunt Clerico, quamvis hic adulter esset Clericus, videtur enim Ecclesia excusare ab utraque illa poena ob tantum & tam justum dolorem, qui merito censetur plenam deliberationem impedire in tali occidente.

An ordinatus simoniaco sit irregularis dixi l. 3. p. 1. n. 218. An Clericus si interfit executioni poenae mortis peccet & incurrat irregularitatem, dixi l. 4. n. 1379. An personaliter interdictus vel in loco interdicto exercens actum Ordinis fiat irregularis, dixi hic n. 422. possuntque plura de hoc videri apud *Dicast.* d. 5. à n. 235.

Q. 63. Quid ad hunc casum sit dicendum: Titius 492.
sclopetum solo pulvere onustum per jocum exonerat in faciem Caji, hic ita percellitur ut videatur moriturus, supervivit tamen dies 14. & iterum ambulat, victurusque videtur diutius, si Doctor eum non neglexerit, qui quia neglexit, moritur Cajus. Queritur An Titius incurrerit irregularitatem. R. affirmant multi 1. quia Cap. *Continebatur*, De homicidio Diaconus declaratur irregularis, qui in lusu præter opinionem alium occiderat. 2. Etiam Cap. *Clerico jacente*, Cap. *Eos vero qui*. Dist. 50. dicitur, quod irregularitas incurratur ob casuale homicidium. 3. Titius dedit occasionem & causam mortis, ergo incurrit irregularitatem. E contra *Burgh.* cent. 3. casu 95. melius negat incurrisse, quia quando Jura imponunt irregularitatem talibus homicidiis
casua-

casualibus, præsumunt gravem culpam præcessisse, qualis hîc non fuit, si enim non ad sit culpa gravis, *Nav. Valent. Henriq. Avila, Suar. & alii cum Sanch. De Matr. l. 9. d. 32. n. 34.* rectè docent non incurri irregularitatem per casuale homicidium, quia cum irregularitas sit veluti pœna gravis, talem quoque culpam supponit: deinde *Sobr. Cajet. Sor. Less. Suar. & alii ex Cap. Studeas dist. 50.* requirunt, ut læsio sit gravis, alioqui putant non posse dici causam vel occasionem proximam mortis, quod videtur requiri, læsio autem illa non censetur lethalis, si læsus post triduum à vulnere accepto pedibus ambulaverit, uti cum aliis docet *Avila*, atqui ex his facilè responderetur ad argumenta in oppositum, Jura enim illa præsumebant culpam gravem, quam hîc non intervenisse satis certum est.

DUBIUM V.

493.

Quæ Irregularitates ex defectu.

» **R** Esp. I. Est ex defectu animæ: Ex quo irregulares sunt, 1. Amentes, phrenetici, arreptitii, & epileptici; qui tamen si ordinati sunt, & intra annum eo morbo non laborârunt, præsumuntur liberati & permittuntur ad Ordinum exercitium: Si verò laborent rarò, & quidem sine clamore & spuma, permittuntur celebrare cum Coadjutore, qui deficientibus ipsis suppleat sacrificium, *M. Leo, p. 372. ex C. Illud 7. q. 1. & Glossa ibid. 2.* Illiterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. Neophyti seu recenter conversi, usque dum judicio Episcopi sufficienter instructi sint.

» II. Ex defectu corporis, 1. Si propter eum ineptus est ad exercitium Ordinis, ut si sit cœcus, surdus